DE USU PINGUIUM ET OLEOSORUM EXTERNO IN MORBIS QUIBUSDAM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIII. M. DECEMBRIS A. MDCCCXLI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUILELMUS HOFFBAUER
NORDHUSANUS.

OPPONENTIBUS:
HENR. JACOBY, med. et chir. Dr.
JUL. BUERING, med. et chir. Dr.
LUDOV. FRIEDRICH, philos. Dr.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI DILECTISSIMO

AC PIO GRATOQUE ANIMO VENERANDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

Mihi curae est, ut opusculum meum, cui oriundo vix triduum erat datum, a fatali Horatii Nono immense distans in paternam committam custodiam. Accipias — quaeso —, pater dilectissime, ea comitate, qua lusus juveniles subridet peritus.

Sub coelo sereno viridescat Tibi senectus neque careat fortuna nostra jamjam satis exsiccata — rosaceis unguentis! Vale.

Satis est notus usus quem veteres factitarunt oleorum quibus corpus inungebant: unctiones pertinebant sicuti balnea calida ad necessarias vitae delicias, ut munditiem et robur augerent. Praeter apodyterium, ubi vestimenta deponebant, in balneis erat alipterium, ubi corpus unguentis obducebatur (1). Variis Graeci unguentis, prout parabantur, varia dederunt nomina. Eo perductus est saepius unguentorum luxus, ut interdum legibus eum arceri necesse esset. Lacedaemone habitare myropolis non erat concessum, neque Athenis viris unguentariam facere licuit. (2). Usus inunctionum major apud Romanos invenitur: exiturus a balneo, madore deterso, oleo leniter perungebatur. (3). Detersionis per oleum haec singularis vis habebatur, quod, cum mediocri frictione, et quae tensa essent remitteret et quae inter exercitium vehemen-

(1) Schneid. Vitr. V. 10, 5.

(2) Eschenburg, Handb. d. class. Lit. pag. 527. Schaaf, Encyclopädie d. class. Alterthumskunde, II. 59.

(3) Galen. de sanit. tuend. IV.

tius fatigata emolliret. Praebere videbatur et hoc non mediocre commodum, quod exiguos cutis meatus opplendo injuriam extrinsecus ambientis defendere, et vestimenti instar nativum calorem munire et sudorem inhibere posset. Ipsas certas indicationes constituerunt. Quos largius antiqui sudare volebant, eos neque a balneo neque ante unctos esse crediderim, quod perpetuo in his, qui aut cruditate aut plenitudine premebantur, servandum erat; sed diu eos tenebant in Laconico, neque in calidum solium mittebant. At contra qui longo morbo laboraverant extenuatique erant, hos, ubi in calida lavissent ac post frigidae solium sudare incepissent, perungendos esse sentiebant. In sanis autem quod frequentius usu evenit, quibus aut longo itinere, aut exercitatione, aut alia quacunque ratione corpus esset exhaustum, hos non solum a balneo, sed etiam ante ungi jubebant (1). Oleo ungebantur etiam luctatores, levore enim obductum corpus difficilius ab *ἀντιπάλῳ* prehendi potest; robustis etiam robur addi putabatur. Unctio exercitationem modo sequebatur, modo balneum, quia non solum balneo, verum etiam oleo sudorem compescebant. De gymnastica ungendi ratione constant haec: qui vel loturi vel sese exercitaturi in gymnasium veniebant, ii majore ex parte spoliabantur in apodyterio, postea horum nonnulli, et praesertim qui vel luctam vel pancratium inire intendebant, alipterium ingressi ungebantur, atque ita uncti ad

---

(1) de Therm. Thes. Antiq. Graec. Gronov. Tom. IX. p. 640. A. — Sam. Pitisci. Lexic. Antiq. Rom.

locum, ubi erat pulvis, transeuntes pulvere conspergebantur, sicque deinceps in exercitationes diversas diversi prodibant. Postquam vero sese quantum libuisset exercuerant, iterum ad unctuarium reversi strigilibus detergebantur. Detersi tandem iterum diligentiores quique valetudinis, aut deliciarum gratia ungebantur, et nonnunquam inuncti balnea ingrediebantur, sed post egressi denuo ungebantur modo simplici oleo, modo variis odoribus condito. — Alexander (1) scripsit athletas ideo oleo ante exercitationes perungi consuevisse, ut membra emollita labores sine rupturae ullius periculo sustinerent. Nec desunt qui credant, oleo exercitatores unctos ad arcenda frigora et levandas lassitudines. Galenus (2) oleum ait tam ad resolvendam praeteritam et futuram mitigandam lassitudinem, quam ad praeparandum ad motus conduxisse. Illas vero, quae post balnea adhiberentur unctiones, neminem dubitare putat prohibuisse, ne humiditas in balneis acquisita evanesceret, neque reseratis a balnei calore meatibus nativa caliditas exspiraret.

Ex his omnibus clarius elucet, in usu inunctionum veteres magis utilitatem diaeteticam spectasse, quam ut in iis auxilia et remedia in morbis sanandis quaererent, quamquam etiam hoc interdum obvium est. Frictionum successus optime quidem medicis veteribus innotuit — testis est Asclepiades, qui has ad praecepta certa refert, in applicandis iis multas distinctiones statuens, modos-

(1) Problem. I. 119.

(2) De tuenda valet. VI. c. ult.

que multos magna cum diligentia colligens (1), sed olea, quibus frictiones nonnunquam perfecerunt, minoris momenti fuisse videntur. De generibus frictionum apud Hippocratem (anatripsis), Galenum, Paulum Aegi-netam aliosque invenimus nonnulla.

Omissis his nos convertamus ad usum, qui recentioribus temporibus factus est unctionum in morbis pluribus, et dicam quidem de earum usu viribusque I. in peste II. in hydrope III. in tuberculosi et scrophulosi IV. in tabe dorsuali.

I. In peste. Oleum ex satis longo tempore aestimatur remedium maxime insigne in peste et in typho petechiali. Cuti universae inunctum ab infectione pestilentiali et typhosa defendere, et primis statim diebus a suscepto contagio ad morbi medelam conferre credebatur. Petrus a Castro usus est inunctionibus oleosis jam circa a. 1650 optimo cum successu in peste, et Balduinus (2), consul Anglicus, ut videtur ignarus rationis quam habuit Castro, gaudebat non minus bonis eventibus. Modo vero excellentissimo frictiones oleosas in peste probatas expertus est Pater Ludovicus, qui praefuit nosocomio Smyrnensi (3). His tractati permulti evaserunt servati a morbo

---

(1) Celsus, lib. II. cap. 14. Hecker, Gesch. d. Heilk. Bd. I. 385.

(2) Conf. osservazioni circa un nuovo specifico contra la peste etc., übers. von Scheel, Kopenhagen 1801.

(3) Conf. Leop. Gr. v. Berchtold, Nachr. v. d. zu Smyrna gebr. einf. Mittel die Pest zu heilen, Wien, 1797.

illo periculoso. Postea usus internus olei olivarum in dosibus magnis (℥jv — vjjj) praebuit in peste melius adhuc — ut referunt — adjumentum, quem fecit primus José Januario Colaco, consul Lusitanus in urbe Lahore a 1818, eumque imitati sunt medici, ex 200 — 300 aegrotis tantum 10—12 mortui sunt. Notum etiam est, hominibus, qui olea portant et quorum cutis perpetuo involucro quasi pingui obtecta est, epidemiam pestilentialem parcere saepius.

Si volueris interpretari magnam nec negandam utilitatem oleosarum inunctionum in morbis pestilentibus, ad antiquam experientiam respicere debebis, ex qua apparet, contagium pestis in corpus receptum perspiratione insensibili eliminari, et stadio infectionis perfectae tuto modoque haud periculoso apparatu diaphoretico removeri posse. Sudores producti sunt glutinosi, spargunt odorem acidum, et observationes multae docuerunt, incitationem exhalationis cutaneae apud sanos infectioni expositos ad arcendas epidemias pestilentiales ac mitigandas non minus prodesse, quam loca infecta commeatu intercludere (1). In omnibus vero casibus a Patre Ludovico observatis sanatio contigit, praesertim sudoribus — ut saepissime factum — vehementer motis. Etiam tractationem a Colaco institutam semper sequebantur sudores universi copiosissimi, qui crisin attulerunt. Omnino videbimus infra, inunctionibus oleosis saepe sudores elici. Medici nonnulli puta-

---

(1) v. Hecker, Gesch. d. neuern Heilk. Berlin, 1839. S. 90.

verunt successum in morbis pestiferis inunctionum saepe observatum ex eo praecipue pendere, quod contagium arceatur a superficie corporis. Verumtamen quomodo tunc explicandum erit, quod infectio tunicae mucosae patens non fiat, quod infectione jam facta morbus saepius removeatur, quod omnino in omnibus pestis stadiis utilitas oleosorum applicatorum experientia saepius repetita confirmetur, quod ipse usus internus eorum aegrotos saepissime servet. Idcirco, quamvis non negaverim, inunctiones superficiei corporis non plus pollere adversus contagium, quam sola valeat, et corporis superficiem oleo quasi vestimento obtectam fortiorem fieri contra insultus pestilentiales, hoc tamen est certissimum, oleosis non solum prophylacticam vim inesse sed etiam radicalem, et multo gravius momentum actionis oleosorum in morbis pestilentibus sanandis quaerendum esse in mutatione reactionis corporis totius, quae appareat praecipue secretionibus auctis.

II. In morbis hydropicis, praesestim ascitide et anasarca. In his morbis jam Galenus et Celsus, Olivier, Medicus, Stark, Monro aliique usum oleosorum externum suadent. Heberden (1) iis non habet fidem, scribens; „Oleum olivae aut seminum ricini mane et vespere frustra illitum est abdomini multorum hydropicorum, propterea quod unus aut alter, qui hoc remedium tentaverant, morbo suo, ut ajebant, liberati sunt.“ Si in aliquo morbo, certissime in hydrope ante omnia causae

---

(1) v. Op. med. cap. 48 de hydropc.

moventes respiciendae sunt, quod attinet scopum sanandi, eaeque sunt tam variae, ut non mirum sit, si videmus maxime diversa remedia in hydropicis nonnunquam salutaria, et idem remedium in hoc casu utile, in alio frustra adhibitum. In hydrope inunctiones oleosae in usum vocandae esse videntur: a) Ubi morbus ortus est a suppressione functionum cutis, in hominibus, qui injuriis aëris humidi, frigidi, luce carentis obnoxii fuerunt; praecipue ubi tela cellulosa valde tensa est, nervis cutaneis spasmodice affectis. b) Ubi morbum acutum excedens aegrotus exhaustus, multo massae organicae perdito, hydropicus factus est. c) Ubi causam habet hydrops in morbo chronico, hepatis praesertim, chyli fabricam et sanguificationem justam impediente. Quibus viis remedium nostrum primae indicationi convenienter agat, intelligitur ex eo, quod excitat restituitque cutis functiones, turgorem ejusdem auget, nervos sedat et — ut saepius observatum — applicationem per plures dies repetitam aucta urinae secretio consequitur. Vim in casibus b. et c. sperandam ea explicabunt, quae infra dicemus de viribus oleosorum pinguiumque restaurantibus et nutrientibus, atque de affinitate, quae intersit inter ea et systematis biliferi fabricam.

III. In tuberculosi et scrophulosi. Adversus has dyscrasias jam dudum oleosa adhibita sunt. Usui interno inserviebat praecipue oleum jecinoris Aselli, cujus remedii praestantiam contra scrophulosin impendendi Schenk et Osberghaus, postea Kopp, Lüders, Heyfelder, Rust, Brefeld, Günther, Gumpert,

Heineken, Taufflieb multique alii, contra tubercula pulmonum Henkel, Kopp, Pagenstecher, Alexander, Haeser praedicabant. Etiam vires hujus remedii in illis morbis supprimendis erant tam egregiae, ut, quum Hopfer de l'Orme jodum ei inesse (quod Kopp jam opinatus erat) invenisset, et Hausmann, Martens, Springmühl (1) veritatem experimentis confirmassent, medici valde gauderent, quod earum fontem — ut putabant — cognovissent. Controversia, quae inter medicos fuerat, num oleo jecinoris depurato an fusco utendum esset, nunc prorsus ad partem olei empyreumatici convertebatur, et vix album sole expressum locum tenebat, sed in officinis depuratum, cui jodum non inest, omnem perdidit aestimationem. Verumtamen mox dubium factum est, num, quum copia jodi, in oleo jecinoris contenta, valde exigua esset, huic revera vis remedii adscribenda sit; nec nunc sunt pauci, qui hoc omnino negent (2). Neque vis pertinere videtur ad phocaeninum, etiam in oleo jecoris inventum, quod liquidum est, in alcohole solubile, peculiarem praebet odorem et cum alcalibus causticis in saponem coiens rancescensque acidum delphinicum format, — quum huic indoles conspicuae desint. Quod spectat ad constitutionem partium, quarum praecipue ratio habenda est, oleum jecinoris aselli ab aliis oleis et animalibus

---

(1) Pharmaceut. Centralblatt, 1837, Nro. 31 u. 47.

(2) Mitscherlich, Lehrb. d. Arzneimittellehre. Berlin 1840, p. 477. Canstatt, die specielle Path. u. Ther. v. klin. Standp. p. 232.

et vegetabilibus non differt, apud quae etiam vires sunt similes. Popken(1) contendit, efficientiam lardi assi in morbis scrophulosis ei olei jecoris aselli minime cedere, expertum se esse miram ejus utilitatem in omnibus evolutionis gradibus, a simplici intumescentia glandularum cervicalium et submaxillarium usque ad summos rhachitidis et paedarthrocaces. Adeps canum et equorum jam dudum famam habebat apud populum, et clarissimi medici ejus usum commendaverunt, ut Lange, Lentilius, Rinna de Sarenbach, Haeser, atque quae novissima docuerunt tempora, hanc sententiam amplius confirmant. Quapropter verisimile fit, vim specificam, qua oleum jecoris singulari modo solum videbatur dotatum, nullam aliam esse, quam quae ad olea et pinguedines communiter pertineat. Si vero haec conjectura veritatem assequitur, suadendum esset, ut miseris aegrotis quantum fieri liceat - poena hujus remedii quam maxime odiosi remitteretur. Quotiescunque enim audiveris, fructum olei jecinoris in universum bene tolerari, tantum abesse, ut ventriculi functiones corrumpat, ut digestionis vim augeat stimuletque reproductionem: tamen argumenta contraria haud pauca adsunt et invincibilis saepe offensio aegrotorum et turba praeceptorum, quam medici provocant, huic moderandae destinatorum, sunt documenta adversa sufficientia. Saepius aegroti prorsus id oleum non sufferunt, emesi orta. Ad summam omnia oleosa et pinguia, praesertim si magnis dosibus porrigenda sunt, vim postulant

(1) Casper's Wochenschrift, 1840. Nro. 38.

digestionis non debilitatam, quae apud scrophulosos et tuberculosos frustra requiritur, quum hi ipsi aegri dyspepsia, ut symptomate crebro et gravi, laborare soleant. Hartmann (1), dicit: „pingue oleum, digestioni difficilius cedens, hanc ipsam, dum adfatim ingeritur, turbat ejusque organa admodum debilitat,“ et „oleum hominibus infirma digestionis officina instructis non nisi urgente necessitate adhibendum.“ Itaque optandum est non solum, ut alia leniora et minori modo nauseam excitantia olea in locum olei jecinoris aselli succedant; sed etiam, ut olea corpori tradantur modo vias primas prorsus vitante. Quod desiderium non est pium, sed recentioribus temporibus propositae, usitatae et magna fama circumdatae inunctiones ei videntur respondere.

Nasse (2), usu edoctus inunctionum, quem fecerunt in terris calidis ad minuendos nimios sudores, commotus est, ut eodem remedio uteretur adversus cutis colliquationes pneumophthisicorum atque vidit eventum optatum. Tertio quoque quartove die in totum corpus olei olivarum uncias 3 — 4 vespere inungendas curavit, gavisus infesti symptomatis remedium se invenisse. Rarius tantum observavit respirationem difficiliorem fieri, cujus causam non adscripsit inunctionibus, sed potius aëris commutationibus, aut molestorum fructui ciborum, aut medicamentis, neque desiit pergere. Conditiones, quibus Hei-

(1) Pharmacologia dynamica, II. 270.

(2) Archiv für med. Erf. von Horn, Nasse und Wagner. 1825 p. 389.

neken inunctiones salutares probavit, erant: cutis per diem ardens et sicca, mane vehementer colliquescens, febris hectica insignis, sputa copiosa, destructio pulmonum topica celeriter progrediens. In iisdem etiam Schoenlein aliique inunctionibus laudem tribuunt. Sed quum medela a Nasse proposita tantum spectaret ad indicationem symptomaticam, cui alia adhuc remedia respondebant minus incommoda, non magni aestimáta paene in oblivionem abiit, donec ejusdem fere medendi rationis, majore tantum extensione applicatae, non solum contra symptoma morbi, sed contra totum phthiseos morbum salutaris commendatae, fama percrebuit.

Edgar Ashe Spilsbory an. 1835 usum lardi externum in pneumophthisi valde benignum primus promulgavit (2). Bona et virens corporis habitudo eorum, qui carnes manibus tractare solent, sicuti immunitas laniorum horumque familiarum a phthisibus saepius observata, eum admonuerunt de pinguedinum viribus in morbis phthisicis curandis. In quatuor pneumophthiseos gravioribus casibus earum applicationem expertus est, hoc quidem successu, ut 2 aegrotis, quos jam ex novem mensibus dyspepsia vexaverat, sanitas restitueretur, aegrotus tertius, ex duobus annis phthisi tuberculosa laborans cum dilatatione cavitatum cordis, notabili refectione gauderet, quarti vero status adhuc dubius remaneret. Inunctiones quotidie semel per semihoram lardo instituendas ordina-

---

(1) The Lancet, vol. 1 Nro. 13. Behrends Repert. der neuesten Lit. des Auslandes, Jahrg. 1836, II Bd. Nr. 16, S. 245. Berl. Med. Centralzeitung, V. Jahrg. p 299. Frorieps Notizen Nr. 1030. Archiv für med. Erf. von Horn etc., 1836, p. 369. Schmidt's Jahrb. Bd. XIII. S. 13.

vit, et quidem dorsum ac pectus tanta copia perungebantur, quantacunque absorberi posset. In provectiore morbi stadio, periculo minante, inunctiones ter per diem repetitae sunt, symptomata urgentia intercurrentia usitatis remediis oppugnata. Quae proxime sequebantur, id genus erant, ut nutritio corporis aucta, excedens cordis actio mitigata, dolores pectus occupantes imminuti, difficultates respirationis remotae et aegroti viribus celeriter firmati sint: et haec omnia intra 15 — 20 dies, imo prius facta sunt. Unus ex amicis rationem a Spilsbury inventam imitatus est, in casu, qui omnem spem adimere videbatur, et inopinato successus fuit optimus, tussi et sputis inter inunctiones prorsus fere remotis, libertate respirandi et viribus restitutis. Spilsbury, jam ipse intelligens, ea quae communicaret nondum prorsus esse confirmata, nihil voluit, nisi ut medicos, praesertim quibus nosocomii copia esset, ad experimenta facienda invitaret. Neque vero non deerant, qui factam propositionem animadversione dignam haberent. Praecipue fiat mentio horum: Hoffmann (1) refert, inunctiones lardo faciendas, a Spilsbury commendatas, multum utilitatis attulisse non solum ad suppressionem sudationum profusarum et colliquescentium, sed etiam apud hecticos, cutis secretione abnormi et exuberante non admodum vexatos, sicuti apud asthmaticos plures. Summa rerum, quas Lohmeyer (2) nobiscum communicavit, in his constat: 19 pneumophthisici

---

(1) Medicin. Vereinszeitung. 1837. nro. 18. Beilage.

(2) Medicin. Vereinszeitg. 1838, nro. 31, u. T.: Resultate, welche von den Militairärzten bei Anwendung der Speckeinreibungen gegen Lungenschwindsucht gewonnen worden sind. Aus den Militär-Medicinal-Berichten zusammengetragen.

inunctionibus tractati sunt. Ex his 12 convalescebant (in uno horum restitutio morbi pectoris quidem non facta, sed quievit et nutritio insigniter aucta est; in septem convalescentibus dubium est, an sanitas recuperata manserit); 4 sine successu (2 feminae phthisi jam valde progressa laborantes, tertius pneumophthisicus, praeterea affectus carie ossis sacri); 3 mortui sunt (in uno pulmo dexter prorsus exulceratus, lardosa dégeneratio pericardii, concretio hujus rigida et gelatinosa cum corde, inter curam habitus aegroti correctus est; in altero phthisis intensa nimium jam incrementum ceperat, sectio deest; in tertio morbus jam nimis provectus notabilem ostendebat refectionem, aegrota vero catarrho epidemio correpta est cum exitu lethali). Quae observabantur proxime sequentia in his casibus; eadem fere erant atque illa a Spilsbury notata, spectantia potissimum ad remissionem febris hecticae, suppressionem colliquationum, tussis sedationem et nutritionem correctam. Plerique medici militares usi sunt lardo fumoso, Lesser praefert lardum aëri expositum, quia facilius absorbeatur. Conclusiones, quas Lohmeyer facit, hae sunt: in phthisi pulmonali inunctiones certo praebent remedium palliativum, quod aliorum omnium vires superat; nondum tamen certo exploratum est, num morbum radicitus sanent.

Quae Berger refert (1) magni sunt momenti et merentur eo majorem animadversionem, quum a viro prodeant, qui doctrinae copiam cum libero jungit judicio. Secundum ejus observationes lardi inunctiones in omnibus casibus phthiseos tuberculosae incipientis excellentem

(1) Medicin. Vereinztg. 1840, No. 11.

offerunt utilitatem, et aegroti haud pauci gavisi sunt perfecta sanatione, quae earum usum sequebatur. In gravioribus casibus quamvis successus interdum non tanta essent specie, tamen auxilia palliativa erant animadvertenda. Eventus inunctionum ab iis non differentes, quorum supra memor fui, ita accedebant, ut primo febris evanesceret, pulsus frequentiam amitteret normalisque fieret, cutis plerumque calida et sicca, noctu colliquescens sanam indolem recuperaret, sudationesque nocturnae cederent, tussis et sputa minuerentur, aegroti somno recreati, per longum tempus desiderato gavisi, euphoriam viresque quotidie magis auctas viderent. Cramer (1) vidit tantum symptomaticum successum in phthisi pulmonali exulcerata inunctionum, splendidum vero atque durantem in febri lenta sine morbo organico (?), in supprimendis sudoribus colliquescentibus, ubi omnia alia remedia spes fefellerant. Inunctiones idcirco existimans remedium esse dignissimum antisudorificum, refellens simul sententiam, quam Spilsbury habebat, ex qua vis earum in eo consistat, ut organismo nutrimentum supportent, ipse proponit vim potius illas habere in suppressione colliquationis per cutem mechanica obturatione vasorum exhalantium facta. De hac opinione neque satis plena, neque cum phaenomenis ac physiologiae praeceptis congrua, vide infra. Hic tantum mihi notandum est, casus a Cramer relatos non tanti esse aestimandos, quum primus phthiseos pulmonalis exulceratae, inunctionibus non sanatae, contra harum vim antiphthisicam minus probet, ultimi vero febris lentae, quorum diagnosis accuratior

---

(1) Casper's Wochenschrift f. d. ges. Heilk. 1840, No. 11.

desideratur, locum profundioris causae organicae, quae adfuerit, non inhibeant, quamvis autor contrarium affirmet. Löwenhardt casum narrat (1), in quo inunctiones applicatae utilissimae fuisse dicuntur, qui mihi non multum valere videtur. Loquitur de scrophulosi, catarrho, rheumatismo, phthisi, permixte satis; id vero mihi clarius factum, adfuisse rheumatismum acutum cum pneumonia rheumatica complicatum. Morbus male erat tractatus, etiam L. arcessitus audaciorem antiphlogosin non ausus est, itaque morbus protractus crisi carebat. Num inunctiones sanitatem reddiderint, an natura ipsa medicatrix rem feliciter satis peregerit, mihi in suspenso relinqui videtur.

Omnibus vero praestant ea, quae Baur scripsit (1), experientiam valde largam de inunctionibus in morbis cum basi scrophulosa, aut tuberculosa acquisitam exponens; gravissima certe sunt eorum, quae hucusque de nostra re cognita habemus. Utebatur vero ad inunctiones oleis olivarum, papaveris albi, rapae, lini, et adipe piscium: sequebautur sudores saepe cum exanthemate rubeolis simili, praesertim apud infantes, sedatio nervosi systematis, omnium secretionum impulsus. Formae autem morborum, in quibus in usum vocatae sunt miramque fere opem tulerunt, erant:

a. Atrophia infantum (febris meseraica, e scrophulosi originem ducens). Quatuor casus et successus

---

(1) Casper's Wochenschr. 1840. No. 21. Allg. Repert. v. Neumeister, neue Folge, V, Jahrg. Aprilheft, S. 150.

(2) Archiv für die gesammte Medicin herausgegeben von Haeser, Bd. I. Heft 2, p. 256,—272.

splendidissimi, plerumque ante diem sextum cura feliciter finita.

b. Formae scrophulosae chronicae. Casus tres.

c. Scrophulae ossium. Casus duo.

d. Herpes (ut Baur sentit, paene semper fontem scrophulosum agnoscens). Casus duo.

e. Tuberculosis (in qua albuminosa materies scrophulosi producta in organorum parenchyma snbmergitur, inferioris organisationis specie excellens). Casus duo.

f) Hydrocephalus acutus (qui saepius in dispositione scrophulosa occulta radicem habeat). Casus tres, ubi tractatio antiphlogistica cum inunctionibus conjuncta, tres alii, sine illa, solis inunctionibus feliciter tractati.

Si jam licebit ex his omnibus, quorum multa et quidem gravissima refutari non possunt, magnas oleosorum pinguiumque in sanandis morbis, tam scrophulosis quam tuberculosis, vires agnoscere, prima oritur quaestio, quomodo hae explicari possint. Quum meum non sit, hic oleorum specimen pharmacodynamicum conscribere, cognitione quidem eorum, quae in libris materiam medicam tractantibus jam sunt tradita, postulata, iis vero, quae jam annotavi, in usum conversis, videndum potius est, quatenus rei interpretandae inserviant.

1) Olea et pinguedines sunt cutis functionum praesides; excedentes et nimias moderantur, debiles atque infirmas augent, crisinque per cutem suppeditant; omnino abnormes in integrum restituunt. Non ignoramus, quoties noxae cutem aggredientes morbos, de quibus dicimus, provocent; imprimis eae, quibus per longum tempus illam infestare licuit, multum valent et ad morbos hydropicos producendos et ad scrophulosin tuberculosin-

que educandam. Jamdudum cognitum erat, cultum cutis non solum ab his morbis tueri, sed etiam rite institutum iis jam acquisitis crisin atque sanationem afferre posse. Cultui vero huic oleosa omnium aptissima remedia videntur. Falso dicuntur olea proferre sudores, falso feruntur olea sudores supprimere. Iis potius est facultas utrumque perficiendi, prout cutis habet. Minime vero dicendum erit de obturatione cutis oleis facta, quum haec ipsa absorbeantur.

2) Olea nutriunt. Auctore Prout sunt olea corpora, quibus inest prae ceteris vis nutriens (1). Cuti inuncta nutriendi vim nihil perdunt, quum non amplius dubitandum sit, quin resorptio fiat, ex indole eorum naturae animali propius accedente (inveniebatur, pingue chyli a pinguibus ciborum non differre, pinguedinis humanae Margarinum aequaliter esse compositum, quam illud olei palmarum et verisimiliter oleorum aliorum (2)) clarius reddatur, cur commutatione per digestionem instituenda vix egeant. Imo est ponendum, olea a superficie corporis recepta magis, facilius et aptius in morbis nutrire, quam ingesta ventriculo (confer supra), id quod explicaverim eo, quod olea in ventriculo ex succo gastrico acido rancescunt et bili, quae in chylo producendo principium differens postulat, homogeneum suppeditant. Inunctionibus etiam insignem massae organicae auctionem perfici, et ex multis patet, quae supra jam memoravi, et ex observatione a Spilsbury facta (3), secundum quam aegrotae inunctionibus tractatae intra dies viginti quinque ponderi corpo-

(1) Mueller's Physiologie I. 480.
(2) v. Mitscherlich, Arzneimittellehre I. 461.
(3) Nasse, Archiv, 1836, p. 369.

ris septem librae additae sunt. Ex his vero dubitationem vix admittentibus perspicuum fit, quanti momenti sint, quam magni aestimandae inunctiones oleosae in morbis phthisicis, qui consumtionem ostendunt valde acceleratam, in quibus febris hectica nutrimentis ventriculo ingestis saepissime excitatur atque augetur, in quibus denique exitus perniciosi saepius ipsa clade et inopia massae organicae, virium simul prostrationem augente, adducuntur.

3) Olea leniunt et demulcent. Ut saepius observare licet, usu oleosorum externo texturae organicae cohaesionem diminui, nimis siccam humectari, strictam lubricari, rigidam relaxari atque emolliri, iisdem adhibitis contra serpentium, canis rabidi morsum nec non contra insectorum punctiones, acre venenum hebetare; item videmus olea, si resorpta lymphae et sanguini admixta sunt, similia exercere, quum nimium actionis vitalis fervorem compescant et ubi motus vitales ex stimuli nonnunquam impatientia normam excedunt, hunc involventia medicamenta praebeant magnae virtutis. Hinc intelligenda utilitas in sedanda sensilitate, in respiratione ad normam redigenda, in somno procreando; hinc virtus optima adversus febrem hecticam.

4) Olea omnes secretiones propellunt. Usu eorum externo observatur secreta cutis non solum saepius augeri, sed etiam ea membranarum mucosarum et serosarum, sicuti secretiones renum et hepatis (1). Secretionum vero impulsus modum non egrediuntur, sed intra fines corpori benignos remanent. Haec quidem vir-

---

(1) V. Baur l. c.

tus gravissima, ubi collectiones morbosae evacuandae, concretiones removendae, recepta contagia ejicienda; in hydrope, in tuberculosi, in scrophulosi, in peste.

Has sub 1, 2, 3 et 4 explicatas oleosorum et pinguium virtutes edocti, clarius quidem dispicimns, haud paucos, qui iis insint effectuum egregiorum, sed confitendum nobis est, hucusque locum adhuc deesse, unde efficientiae mirae admodum in scrophuloseos ac tuberculoseos dyscrasia radicitus sananda conspiciendae copia data sit. Tubercula sanari possunt — postquam sanguis normalem crasin iterum acquisivit, nec non studium morbosa in organorum parenchyma praecipitandi perdidit, omni secundaria depositione tuberculosa desinente — aut, si jam aderant ulcera tuberculosa, eliminatione principii tuberculosi cum formatione cystae cellulo-fibrosae, cicatrice relicta, aut, si tuberculum nondum abierat in macerationem, absorptione ejusdem partiali, relicta vel massa calcaria, vel obsoleta crudi cinerea granulatione (1). Itaque summum, radix quasi sanationis in eo est, ut sanguis plane et funditus correctus in normalem crasin restituatur, ita ut repetita substantiae tuberculosae excretio non amplius fieri possit. Hanc conditionem impletam sanationes topicae sponte sequuntur eo, quod aut sanguis vires recepit, fibrinam ad cicatrisationem necessariam suppeditandi, aut vasa, functione absorbendi instructa, tubercula jamjam deposita exhauriunt atque destruunt. Sed gravis oboritur quaestio, qui tandem fieri queat, ut in oleo, humili illo atque ignobili remedio, talis tantaque potestas occulta jaceat.

---

(1) Rokitansky, Handb. der pathol. Anatomie, Wien 1841 Bd. III. Hft. 1.

Baur (l. c.) hoc aenigma solvendum esse putat. Theoria ejus haec est: inveniri — dicit — germen morbi in digestione perturbata; in ventriculo alimenta in albuminosum acidulum chymum commutari, qui in duodeno indolem acidam perdat et emulsio fiat; regularem digestionem adesse, si ambo ejusdem momenta pari modo adsint atque consentiant. Hanc consensionem esse in scrophulosi turbatam, et quidem praevalere momentum digestionis gastricae, ita normalem chylum formari non posse, fluidum albuminosum in coagulationem abire, stagnare in vasis, e sanguine postea ejici et justam sanguificationem cessare. Therapiae esse, momenta digestionis turbata iterum conciliare, quod effici oleo: quomodo, doceri Aschersonii invento (1), secundum quod albumen cum oleo fluido in contactum veniens coagulationem patiatur, quam sequatur formatio membranae vesicularis s. cellulae oleum continentis, et ex quo (invento sc) Ascherson ipse concludat, eundem processum a vita ipsa sollicitari, ex oleo et albumine cellulas elementarias formari in organismo. Quam argumentationem Baur adoptat, arbitratus praeterea, in digestione regulari ventriculum praeparare albumen alimentis desumendum, hepate pinguedinem secerni, et ita occasionem esse datam ortus globulorum lymphae et sanguinis; ubi vero duodeni digestio sit suppressa et ita morbus fiat, inunctionibus oleosis pinguedinem necessariam corpori aegroto tradi et digestionem vitiosam corrigi.

Minime negandum hanc theoriam esse ingeniosam, sed provideamus, ne splendor fallat oculos et assectatores captet coecos. Quamquam concedendum est, tuberculosin

(1) V. Müller's Archiv für Physiol. u. Medicin, Jahrgang 1840.

et scrophulosin ex vitiis digestionis saepius traxisse originem, in his morbis saepius inveniri aciditatis productionem nimiam atque bilis abnormem actionem; quamquam dyspepsia crebra, indoles faecum, degeneratio hepatis in tuberculosi pulmonali saepe occurrens (1). — quam Baur non memorat —, et ipsae potentiae evolutioni tuberculoseos maxime propitiae, ad turbationem depressionemque virium vegetationis negotiique assimilationis plerumque spectantes, sententiae illi, quam Baur tulit, egregie favet; tamen multis repugnat observationibus, fontem solum et unicum morbi in primis viis quaerere. Mentionem tantum facio propagationis ejus hereditariae; in foetibus inveniebantur pulmones tuberculis obsiti et glandulae tuberculosae. Quam saepe aciditas nimia in ventriculo adest sine tuberculosi, quum saepe tuberculosis sine dyspepsia? Esto, verum sit! Sed quid est illud, quod Ascherson invenit? Curiositas physica, immatura certe, si vis ea uti ad interpretationem rationis, qua res organicae fiant. Henle (2) idem, quod Ascherson vidit, confirmans quidem et — ut convenit — aestimans, putat olei guttam condensato albumine circumdatam non esse cellulam animalem et tantum ab hac differre, quantum a corpore vivo differat cadaver. Sine dubio cellula tali modo formata vix comparanda cum globulo sanguinis; quomodo ex oleo nucleus? Concedo endosmosi oleum submoveri posse; tum vero liberum esset in sanguine, et si iterum atque iterum in contactu albuminis cellulas formaret, tamen copia denique albuminis exhaurienda esset, et quum id ipsum oleum hepate secretum

(1) Rokitansky, österr. medic. Jahrb. Bd. XIX. Stk. 3.
(2) Allgem. Anatomie, 1841, S. 166.

rursus in sanguinem recipiendum foret, tandem corpus humanum, apportatione oleosorum extrinsecus non desinente, dolium olearium evadere deberet. Sed quaeritur, an forte oleum cum albumine coiens metamorphosi gaudeat ita, ut fibrina formetur? Fieri quidem potest, sed nemodum vidit. Tametsi minime is sum, qui negem hypothesin, quam Baur proposuerit, dignam esse alia eaque accuratiore inquisitione, tamen opportunitas mihi non exemta videtur alia adhuc quaerendi, quae viribus valde miris oleosorum ad morbos antea dictos lucem addant.

In tuberculosi albuminis abundantia adest. Tuberculorum constitutio praecipue ostendit albumen et caseinum. Urinae tuberculosi laborantium inest nimia ureae copia, et albuminosa et urea sunt corpora multo nitrogenio instructa. Oleosa vero nitrogenio carent. Experientia docuit, inter eorum usum concretiones albuminosas disparere et experimenta, quae Magendie instituit (1), demonstrant, canum aut oleo olivarum aut butyro et aqua nutritorum urinam et uream et calcariam phosphoricam perdere. (Licet mihi hic verbo significare vim oleosorum saepius observatam ad arthritidem nodosam.) Quaerendum est, num forte olea pinguia, nitrogenio prorsus carentia, involutionem tuberculoseos eo exerceant, quod materiae nitrogenatae, antea in productiones scrophulosas et tuberculosas conversae, copiam diminuant. Sicut in diabete, in quo morbo, pro partibus urinam proprie constituentibus largam nitrogenii copiam rite habentibus, corpora prodeunt nitrogenio prorsus egentia, compensatio quasi fit atque incitamentum normalia denuo formandi remediis, quae nitrogenio abundant, adhibitis. (Rollo

(1) Annales de Chimie, 1816, p. 73.

commendat usum Ammonii sulphurati, Opii, et perpetuum carnis): sic in morbis, qui studium immodicum productionum principio azotico infectarum indicant, oleosorum utilitas ex eo fortasse intelligi potest, quod nitrogenium organismo subducant. Si remedia azotica novam formationem atque restitutionem eorum, quae desiderantur aut depravata sunt, movere valent, cur fieri nequeat, ut subductio nitrogenii remediis facta, quibus hoc deest, excedentem nitrogenii et concretionum, quibus hoc inest, producendi modum moderetur.

Porro auctore Rokitansky (1) tuberculosis et omnes morbi cyanosin moventes se invicem excludunt. Itaque inquirendum esset, num remedia, quae sanguini indolem magis venosam infigere possunt, non sint salutaria iis, qui tuberculosi scrophulosique aegrotantes, saepius ostendant constitutionem floridam, i. e. ubi arteria praevalet. Hoc si respicimus, facile apparet, nihil aptius adesse quam olea pinguia, quae corbonio et hydrogenio maxima ex parte constituta, minorem oxygenii rationem continent.

Etsi intelligo alia eorum, quae dixi, dubitationes admittere, alia autem non nisi quaedam continere, quae fortasse accuratiore exploratione ac fusiore facta pleniorem rei cognitionem promittant, omissis his disquisitionibus non minus difficilibus quam dignis, nihil aliud restare mihi video, nisi ut indicationes usus inunctionum in tuberculosi et scrophulosi proponam. Sed quoniam sentio, hoc fieri non posse, nisi magno rei usu comparato, praestare puto lectorum earum rerum commonefacere, quas supra attuli, nam quae ex iis sequuntur, non minus aliis

(1) Oesterr. med. Jahrb. Bd. XVII. Stk. 2 et 3. Bd. XIX. Stk. 3.

quam mihi aperta erunt. Ad extremum igitur narro usum inunctionum in

IV. Tabe dorsuali, quem factum ipse semel vidi, et quidem Berolini in illa sectione nosocomii caritatis, cui Schoenlein praeest. Aeger vir erat 25 ann. natus, quem verisimile erat morbum adeptum esse abusu veneris, et casus illam atrophiam spinalem exhibere videbatur, ubi cauda equina exsiccata quasi invenitur. Schoenlein, remedia irritantia consueta initio curae adhibenda condemnans, quippe quae, organica massa valde diminuta, reliquam hujus prorsus consumendo quam roborando aptiora essent, massae consumptae prius maluit redintegrationem, et ad hunc finem inunctiones columnae vertebralis lardo instituendas curavit. Successus optati morabantur, paralysi non diminuta. Verumtamen notandum est, inunctiones non per satis longum tempus applicatas mox usitatiori sanandi methodo cessisse. Quaeritur, num inunctiones patienter protractae spem praebeant nutritionis topicae assequendae. Physiologia deserere et facta deesse videntur, ut intelligatur, quomodo talis fieri possit; organon atrophicum pinguibus infodere licebit, sed admodum dubito, eo auctionem massae functionisque exsuscitationem perfici, nisi aliae res auxilium conferant, e. g. defensio a noxis externe invadentibus, servatio nec non suggestio caloris vitalis etc. Non ignoramus quidem copiam effectuum localium, applicationem medicaminum topicam sequentium — mentio tantum fiat dilatationis pupillae post applicationem Belladonnae, salivationis celerius adparentis post applicationem Mercurii in vicinia glandularum salivalium, irritationis cutis spirituosis et acribus perficiendae: sed in his casibus agunt corpora heteroge-

nea, quibus chemica et dynamica inest differentia, et quae topicas reactiones movent. Id vero cui inest homogeneum organismo principium, nutrimentum, id quod agit, eo tantum agit, quod in circulationem receptum ad integrum succorum fluvium pertinet, ex quo fonte et totus organismus et singulae ejus partes aequali modo nutritione gaudent. Ex his intelligi videtur, in unctionibus columnae vertebralis, apud tabem dorsalem adplicandis, multo magis frictionem ipsam, qua quidem sanguinis actio augetur, calor localis movetur, nervis spinalibus posterioribus irritatis, quam pinguedinem respiciendam esse, nisi opinari licet, irritatione locum irritatum aptiorem fieri, alimentum sibi illitum atque resorptum attrahere, ita ut id ad locum, ubi aditum habuit, e sangnine redeat. Quidquid est, dummodo res utilitatem praebeat, usus — ut jam saepius factum vidimus — sui juris, sui mancipii fit, eoque plus laudis meretur, quo minorem remedia, hucusque a medicis adversus tabem dorsualem adhibita, praebebant successum.

VITA.

Nomen curriculi, quod impedimentis plenum, non aptum. Aetate puerili aeger — juvenili libertate privatus — virili detruncatus! Quid curo! Mens et corpus, quae restant, adhuc sana. Hafniae natus Id. Septembris 1812, a parentibus, quibus adhuc vivis et integris summopere laetor, mox ultramarinus, Nordhusam delatus, coepi lingua Germanica uti, quum adhuc ignorabam sanguinem Daniae maternum. Spatio gymnasii Nordhusani decurso, satis exercitatus quidem in literis, sed parum prudens, a. 1831 Virceburgum ivi, ut arti medicae operam darem. Hic praeceptores mihi fuere quam maxime reverendi Ill. Heller, Leiblein, Münz et Hoffmann. A. 1832 in vincula conjectus per 5 paene annos in carcere tabescebam. Libertate tandem recuperata, a. 1838 Kiliam migravi, ubi praeceptis gaudebam virorum, quibus dum vita suppetit gratiam habebo. Nomino Ill. Behn, Meyn, Nolte, Günther, Michaelis. Etiam Kiliae in lechodochio et postea in nosocomio Fridericiano inferioris medici munera suscepi. Mense Nov. 1840 Berolinum veni atque interfui exercitationibus clinicis virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum Schönlein, Barez, Romberg, quibus optime de me meritis multum debeo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores rite mihi concedantur.

THESES.

1. Systemata artificialia exanthematum medicum non juvant.

2. Cephalaematoma postulat incisionem.

3. Si pus in venis locis exulceratis adjacentibus, hoc non resorptum, sed phlebitide ortum.

4. In partu contractiones uteri ab ore incipientes ad fundum ascendunt.

5. Maximi momenti in historia gentium morbi.
